ut intelligamus ad eas solas pertinere que quadam excellentiori
sanctitate virgines in ecclesia nominantur, quas etiam usitati-
ori vocabulo sanctimoniales appellare consuevimus: sed
nisi fallor hec similitudo ad universam ecclesiam pertinet.
Lectio secunda. Sed et si illas solas intelligimus que
sanctimoniales vocantur: numquid decem sunt? Absit ut
tanta multitudo virginum ad tam exiguum numerum
revocetur. Forte autem dicat aliquis: Quid si multe sunt
nomine, et tam pauce sunt in veritate ut vix decem inveni-
antur? Non ita est. Nam si solas decem intelligi vellet
bonas: non ibi ostenderet quinque fatuas. Lectio tercia.
Si enim multe sunt virgines que vocantur: quare quia
quinque ostia domus magne clauduntur? Intelligimus
ergo fratres ad nos omnes videri ad universam omnino
ecclesiam istam parabolam pertinere, non ad solos prepositos
de quibus hesterno die locuti sumus, nec ad solas plebes,
sed prorsus ad omnes. Quare ergo quinque et quinque? Et que
et quinque virgines? omnes omnino sunt anime christianorum.
Sed ut dicamus vobis quod deo inspirante sentimus:
non qualescumque anime, sed tales anime que habent catholicam
fidem, et habere videntur bona opera in ecclesia dei: et tamen
ex ipsis quinque sunt prudentes et quinque fatue. Lectio iiii.
Quare ergo appellate sunt quinque et quinque virgines primus
videamus, et deinde cetera consideremus. Omnis anima in
corpore ideo quinario numero recensetur: quia quinque sensibus
utitur. Nichil est enim quod sentimus ex corpore nisi ia-
nua quinquepartita: aut videndo, aut audiendo, aut odo-
rando, aut gustando, aut tangendo. Qui ergo se abstinuerit
ab illicito visu, abstinet ab illicito auditu, ab illicito o-
doratu, ab illicito gustu, ab illicito tactu, propter integritatem

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/140a, Fol. [1]v – Augustinus Aurelius, <i>Sermones</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-25y5/6817/56754)